

4.

ÆTERNI, PII, JUSTI, ET FELICIS,
 DOMINI DOMINI
JOHANNIS
TERTII,
 REGIS POLONIARUM
 PACIS BELLIQUE ARTIBUS
 MAGNI &c. &c. &c.

Cultoribus,
 Veneratoribus,
Salutem & Studia.

Ed

Quem hucusq̄ve Polonia Servatum Sacrosanctè coluit; quem
 in Throno Lechico, Religione, Justitia, Fide, firmato, ado-
 ravit; cujus Majestatem, Magnus Orbis Sarmatici Senatus,
 reverenter habuit; quem diffusæ, Sceptroq̄; EJUS obsequio-
 sæ Terræ, tanquam *Grande Depositum* Cælo Missum, observarunt; qui Re-
 gna, improbo Casu, inopina Fortuna, divexata, MARTE & PAL-
 LADE, hoc est, FERRO & PRUDENTIA, Servizio impotentis
 Miseriæ, exemit; quem Hostis metuendus, metuit; qui placidè, &
 salutariter, inclinata ad Clementiam Majestate, usus est, SERENIS-
 SIMUS ET POTENTISSIMUS REX POLONIÆ, JOHANNES
 TERTIUS, *Mortalis esse desit.* Idonea & infausa clades! nec minoris
 Consternationis procreatrix atq̄ue Augusti quondam Imperatoris, Oc-
 casus. Cum enim hic, ut Historicus, qui rem in literas misit, lo-
 quitur, animam cœlestem cœlo reddidisset, omnia squalebant, turba-
 bantur. *Quid tunc homines timuerint? quæ Senatus trepidatio? quæ populi confusio?
 quois Orbis metus? verba sunt ejusdem, neq̄ve mihi tam festinanti exprimere va-
 cat, neq̄ve cui vacat, potest.* Idonea, inquam, clades ruinaq̄ve nostra!
 Maximorum juxta ac minimorum, justis doloris interventu, stipendi-
 ariis lacrymis, FAMÆ TEMPORUM, commendanda. Augusti
 census mortales, meritis solennibus ignoti, ubi naturæ cedunt, mœror,
 illius causæ, vile & plebejum limen non excedunt; at, SELECTIS-
 SIMUS, DEO, HOMINIBUSQ̄VE GRATISSIMUS PRINCEPS, ubi
 Mortalitem explet, non aliter dolendus, atq̄ve si quavis domus pri-
 vata, *Vnicum Filium*, Spem votorumq̄ve fiduciam, eodem momento,
 rogo imponeret. *Quivis in Bono Principe aliquid amittit: Respublica Patrem,
 Divina Humanaq̄ve Custodem, Senatus Caput, Musæ Gratiæq̄ve Nutritum & Deli-
 cias, Maternalia Securitatem. Princeps Bonus, commune Gaudium Vivus; Mortuus, do-
 lor.* Tam altum Augustis suis credebant se debere Ægyptii obsequi-
 um, ut, dum meritis gravem amitterent Regem, decorum æstima-
 rent, vestes lacerare, Tempora claudere, fora non frequentare, festa so-
 lennia non obire, dies septuaginta duos luto capita deturpare, non
 lavacris, non ungentis, non stratis uti, unâ viros mulieresq̄ve ferè du-
 centos aut trecentos, bis in die luctum renovaturos, circumambulare,
 & tanquam *Defunctum Filium*, per eos dies mœrentes lugere. Romani,
 Augusto vivis exempto incinuerunt: *Vtinam aut nunquam natus, aut nun-
 quam mortuus fuisset!* Quo die Germanicus Drusi Filius, placito Mortis
 cessit, iidem Quirites, velut lymphati, quasi cum Diis exostulatu-
 ri, Tempora lapidabant, Aras subvertebant, Lares Familiares in publi-
 cum ejiciebant, Partus, domus fulcra, exponebant. Nec Poloni de-
 fides. Dum enim Boleslaus Primus, Magna Justitia Princeps, Digni-
 tatis benè administratæ Æternum Exemplar, finem vivendi regnan-
 diq̄ve fecisset, tacti Pietate in Regem, daturi exemplum temporibus
 lugen-

lugendi Principis, integro anno, Symposiis, Choreis, sibi interdixerunt, nec Vestes ad consuetum Splendorem assurgere passi sunt.

Meretur etiam, Consilium, *Magnifici & Nobilissimi Magistratus Thorunensis*, Publicæ Administrationis Momenta, scitè prudenterque librantis, & laude, ex Obsequiis & Fide in REGEM SERENISSIMUM collecta, imprimis florentis, palmarem laudem, quod Is, certior factus de EUTHANASIA, INCOMPARABILIS REGIS AC DOMINI, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, Aras, Cathedras, Immortalis Numinis, pullo obnubilaverit panno, Sequè Ipsum, alios, aliquo æstimationis gradu stantes, talari nigroque involverit habitu. Aversari iussit, quicquid ludicrum, molle, effœminatum, illecebrosum, insolitum. Sexui muliebri, qui otia plerumque tuetur, non fuso coloque, sed frangendo, torquendo, molliendo capillo, & immundissimis se excolendo mundiciis, Lex modusque descriptus, dictumque est ipsi, alium quæreret Mundum.

Denique, Lyceum quoque ipsum, partem non ultimam, EXTINCTAM MAJESTATEM, lugere colereque iussit. Ut non dolere Scholas, TANTUM REGEM, sub cujus Numine lacertos movebant, non est humanum; ita MERITA EJUS, tantum sentire, intra se premere, tacite illis frui, non etiam *Publica Commemoratione*, presentibus & posteris ostendere, impium & ingratum. Quamvis enim nullius hominis tanta sit ingenii Amplitudo, Facundiæ, Curarum, Felicitas, qui SERENISSIMUM REGEM NOSTRUM, OPERAQUE EJUS, exhauriret; tamen de EO Pietas, Religio, Autoritas Publica, loqui mandant. Proinde, si non omnia, quæ dici possent, dicentur, promittimus nobis, tutos Nos futuros ab Areopagitis, omnia ad mensurarum suarum magnitudinem exigentibus. *Ex Mensis Deorum, etiam Analecta, & ex præsignibus Statuis, membra & fragmenta, maximi semper æstimantur ab iis, qui rerum pretia norunt.* Itaque, prodibit è Tribu Professorum, Johannes Rezik, atque de Immortalibus, Mortalis REGIS NOSTRI, in Genus Humanum Meritis, Cælestibus etiam Phænomenis, & Ingeniis nobilitatis; deque Immortalibus EJUSDEM à Genere Humano emeritis Tropæis, differet.

Omnia quidem MERITA, Omnia OPERA, FORTISSIMI REGIS NOSTRI ATQUE DOMINI, dum viveret, Summa visa sunt; nunc à Mausolæo exstantiora multò futura, innubeque tollent sursum Caput. Etenim, *Sublimibus etiam affixos Fastigiis, dummodò vivos & superstites Gloriæ Suae, interdum Fortuna, sæpè Invidia fatigat, semper quidpiam MERITIS, Divinæ Benignitatis Naturam æmulantibus, abradit: ubi anima nature cessit, demptis Obtrektoribus, Ipsa se Virtus magis magisque extollit.* Vnde, Civilis Sapientiæ plenus, Sallustius, Julio Cæsari, si restitueret, propè jam ab occasu Urbem, huic Libertatem, vivo Famam Virtutis, per Gentes volitaturam, promittit; mortui clariorem futuram asserit; *Tua Mors, inquit, vita clarior erit, id est, postquam oculis mortalium subductus fueris*

4856
ris, tunc demum multò illustriora tua facta futura sunt. Præclarè quoq;
non nemo grandis Oris Orator: *Vsu & exemplo compertum est, veras Laudes,
solum inchoare Mortem, nec certiores Vita testes esse, quàm Cineres & Sepulchrum. Sed
relinquamus jam ista.*

Cùm verò ATLANTI SARMATICO, REGI ET DOMINO
NOSTRO INDVLGENTISSIMO, Nomine Publico, ut supra dictum,
decretæ sint INFERIÆ, Vos,

Magnificos, Nobilissimos, Amplissimos,

DN. BURGGRABIUM REGIUM,

DN. PRÆSIDEM,

DN. PRÆ-CONS.

DNN. CONSULES ET SCHOLARCHAS:

THEOLOGICÆ ET MEDICÆ FACULT.

DOCTORES,

ADMODUM REV. ET CL. ECCL. ANTISTITES,

SPECTABILES SCABINOS,

Ceterosqve,

Quibus, MERITA ET MAJESTAS REGUM
SANCTA SUNT,

Reverenter, studiosè, humaniter, rogamus, invitamus;
ut veteribus, in OPTIMUM REGEM, obsequiis,
Fidei, Cultui, Admirationi, *Ultimum* porrò *Decus*
addere, & Vocem:

**AUGUSTISSIMO ET EXANIMI
CORPORI**

Sacram,

Julii 26. hora 9. matut. exaudire, velitis, omnes à Nobis Gratias pro offi-
ciis expectaturi. Discemus, Maxima quæqve dirigi ad interitum, ni-
hilqve posse ferre Diurnitatem præter Divina. *Sit interea DE-*
US Rex in Regno, SOLIUMQVE REGALE Custodiat,
detqve OPTIMO.

Rector & Professores Gymnasii
Thorunensis.

In Taberna Typograph. Thorunen. imprimebat Johann-Balthas. Bressler.

Anno M. DC. LXXXVI.